



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii

Acquaviva, Claudio

Ingolstadii, 1592

VD16 A 125

Capvt XII. De fine primæ hebdomadæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

Aliquando etiam, præsertim insignioribus hominibus proderit dare legendum Summam Nuarri, vbi agit de statibus, ut attente considerent, quæ ad suum statum pertinent. Sic enim melius videbunt in quibus defecerint, quæ si nostri per se proponerent, fortasse nō tantam iis fidem haberent, & possent putare eos esse nimios in vrgendis conscientiis.

Hanc generalem confessionem, vt plurimum magis expedit non fieri ei, qui tradit exercitia: si tamen exercitans ei confiteri mallet pro sua devotione, vel sacerdotū penuria, aut aliæ causæ ita exigerent, nihil impediret, quin etiam ipsi fieri posset.

De fine prima hebdomadæ.

CAPVT XII.

QVONIAM, VT SVPRA dictum est, exercitiorum hebdomadę nō diem spatio definiuntur, sed ex effectu, qui in eis prætenditur; ideo huius primæ hebdomadæ tempus vel contrahi, vel prorogari poterit, prout citius, vel tardius

tarditus quisque contritionem, deuotionem, vel meditandi modum assecutus fuerit. Alij enim celerius, alijs serius eo perueniunt. Illud tamen notandum, eos homines, qui multum proficiunt in via spiritus, & qui iam ab aliquo tempore Sacra menta frequentant, aut qui multum cupiunt statuere de modo vitæ suæ, in quo magis Deo domino seruire possint, non esse diu detinendos in hac prima hebdomada. Immo si fieri possit, quatuor aut quinque diebus absoluere eam debent. Contra vero facendum in iis, qui non ita dispositi sunt. hi enim vt peccata sua defleant, & vt peccati turpitudinem, ac fœditatem agnoscant, debent diutius in his exerceri.

QVI ABSOLVTIS exercitiis primæ hebdomodæ ad reliqua progressurus est, postquam generaliter confessus fuerit, & communionem sumpserit, saltem per vnum diem vacare debet ab illo labore tam intenso meditandi. Interim tamen posset in mente versare parabolam illam filij prodigi, applicando eam ad seipsum, aut aliquid eiusmodi. Porro ad communionem est ita etiam

D 3 dispo-

disponendus, vt ad eam accedat cum
reuerentia, & fide, & gustu, & ob eam
causam danda est ei aliqua meditatio
ad hoc apta.

*De secunda hebdomada, & primo de fine
qui in ea prætenditur.*

CAPVT XIII.

FINIS ET SCOPVS, qui exercitiis o-
mnib. primæ hebdomadæ præfixus
est, hic præcipuè est, cognoscere q̄ erra-
uimus ab ea via, quæ nos ducere debe-
bat ad vltimū illum finem, cuius causa
creati sumus, & consequenter dolere de
tali, & tanto errore, & concipere inten-
sum desiderium redeundi in illam viā,
& in ea semper perseuerandi. In hac au-
tem secunda hebdomada finis est, pro-
ponere sibi Christum dominum, ac Sal-
uatorē nostrum, vt veram viam, iuxta
illud, quod ipse dixit: Ego sum via, veri-
tas & vita, &, Nemo venit ad Patrem nisi
per me. Ipse enim est exemplar à Patre
hominibus propositum, cuius imitatio-
ne emēdemus, & componamus mores
nostros corruptos, & dirigamus pedes
nostros in viam pacis. Quare cum Chri-
sti